DE

VI MAGNETIS
PARTICULAS FERREAS CORPORI VIVO INFLICTAS EXTRAHENDI.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS AUCTORITATE

IN ACADEMIA LIPSIENSI

SUMMORUM

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORUM

RITE CAPESSENDORUM CAUSA

ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS CONCESSU

IN AUDITORIO IURIDICO

DIE XX MENS. DECEMBRIS MDCCCXXXIII.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS JULIUS LANGUTH

GERTITIENSIS

MEDICINAE BACCALAUREUS.

LIPSIAE

EX OFFICINA G. T. HOEHMII.

VIRO

ILLUSTRI, EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO,

AMPLISSIMO

IOANNI CHRISTIANO AUGUSTO CLARO

POTENTISS. REGI SAXONIAE A CONSILIIS AULAE ET RERUM MEDICINALIUM, ORDINIS SAXONUM VIRTUTIS CIVICAE ET ROSSICI A SCTO. WOLODOMIRIO COGNOMINATI EQUITI, PHILOSOPHIAE, MEDIC. ET CHIRURG. DOCTORI, CLINICES P. P. O., FACULT. MEDICAE LIPS. ASSESSORI, INSTITUTI CLINICI REGII MEDICO PRIMARIO, UNIVERSITATIS LITERARUM LIPS. URBISQUE MEDICO PUBLICO, COLLEGII MINORIS PRINC. SODALI, COMPL. SOCIETAT. LITER. MEMBRO ETC.

FAUTORI AC PRAECEPTORI

OMNI PIETATE VENERANDO

HUNCCE LIBELLUM ACADEMICUM

GRATI ANIMI DOCUMENTUM ESSE

VOLUIT

Auctor.

PARS PRIMA.

Historia prima.

Rossbergerin, puella, XVII annos nata, infantum apud rusticum quendam Jenscher in pago *Gertitz* custos, die XIII Decembris anni MDCCCXXVIII parentes in pago *Lissa* milliarium dimidium a *Gertitz* remoto adiit, acumque suendo inservientem, quam temere inter loquendum ore tenere studebat, deglutivit. Quo facto statim vehementem in regione cardiae ventriculi dolorem percepit et maxime perterrita vescendo globuli e farina secali cocti, refrigerati ac solidi bolo, levamen sibi parare et acum emovere conata est. Licet hoc experimento dolores valdopere augerentur, nihilo tamen secius praeterlapsis aliquot horis ad pagum *Gertitz* rediit atque negotiis consuetis, quamvis non sine magna molestia, functa est; dolor enim continuus fuit atque quovis motu, corpore potissimum antrorsum declinato vehementior evasit. Quum per sex dies idem perstiterit dolor atque aegrota nil nisi iuscula et ne haec quidem sine magno impedimento assumere potuerit, ab hero suo admonita die tandem XIX Decembris auxilium apud patrem meum quaesivit. Exploratione instituta reperta sunt haec: „dolor in loco, quem supra commemoravimus, gravis, pungens, contactu etiam leviori atque vario corporis motu adauctus; locus affectus externe neque tumidus, neque calidior partibus adiacentibus, neque ruber; deglutitio fluidorum quoque difficilis ac dolorosa, sitis ardens, alvus regulari modo soluta; respiratio altior paulo impedita, tussis tamen nulla, pulsus ratio haud a naturali statu discrepans. Aegrota etiamnunc licet non sine summa molestia incedere et leviores labores suscipere valuit.“

Ab initio praeter potus mucilaginosos propinatum est: acid. sulphuric. dilut. cum Syrupo Althaeae. Qua via ingressa cum sine omni effectu continuatum esset usque ad diem tertium Januarii an. seq. constituit pater experimentum cum magnete instituere. Applicavit igitur magnetis soleae ferreae formam prae se ferentis et pondus $1\frac{3}{4}$ ℔ gerentis polum septentrionalem ad scrobiculnm cordis paulo infra processum xyphoideum, quo aegrota levem percepit dolorem pungentem, quem post V aut VIII sexagesimas horae inter ipsam applicationem leviorem fieri et sensim prorsus evanescere edixit. Ne aegrota nos et semet ipsam falleret, magnetem oculis aegrotae panno linteo velatis applicavimus. Quum femina et nunc magnete ad locum doloris *appropinquante* eundem indicaret dolorem pungentem atque nos de magnetis vi certiores facti essemus, experimentum, quod nisi utilitati etiam non damno esse poterat, continuare decrevimus, in mucilaginosorum autem usu pergendum esse statuimus. —

Die IX Januarii. — Per hos dies magnetis applicatione ter quaterve quotidie repetita, dolor eodem quidem loco et vi perstitit, deglutitio vero minus impedita fuit. Ceterum vomitu aliquoties correpta est aegrota materiemque eiecit pituitosam striis sanguineis tinctam. Num simul per alvum quotidie fere solutam sanguis depositus fuerit, comperire non potuimus. Continuavimus eodem modo magnetem apponere usque ad diem XXVII Februarii h. a. atque licet dolor ultimo tempore tactu et inter ipsam magnetis applicationem vehementior et acutior videretur, deglutitio tamen in dies liberior reddita est, ita ut tantummodo cibi solidiores et crudiores dolorem excitarent. Cum hucusque et ne ulla quidem in applicationis loco observata fuerit mutatio, demum e nonnullis diebus areola formari coepit pallide rubra, magnitudinem grossi borussici ambiens, tactus impatiens, cuius in centro papula parva sensim elevata prodiit. Papula unguis ope aperta ea acus pars, quae ad filum perducendum foramine instructa est, in conspectum venit, qua per volsellam capta, acus haud sine resistentia extracta est. Dolor inter ipsam hanc operationem vehemens fuit. Protracta acu guttulae aliquot sanguinis emanabant, puris autem ne vestigium quidem

observatum est. Praeterlapsis paucis diebus omnis rubor ac tumor evanuit et omnes aegrotae functiones bene processerunt atque hoc ipso adhuc die procedunt.

Acus protracta longitudine fuit pollicis unius, satis crassa et oxydatione tam parum affecta, ut nihil nisi color eius e nigro-caeruleo-viridis conspiceretur, asperitas autem nulla.

Historia secunda.

RICHTERIN, XXIII annos nata, ancilla, constitutione venosa, robusta, die primo Januarii anni MDCCCXXXII hora X vespertina acum suendo inservientem, quam ore tenebat, deglutivit, cuspide uti aegrota ipsa refert praecedente. Dolorem eo provocatum descripsit *Exper.* ZSCHIESCHE, statim in auxilium vocato, pungentem quovis motu et deglutiendi conamine auctum, fixum sub sterno, pollices circiter tres supra processum xyphoideum; qui dolor cum aegrota proprio Marte ad acum promovendam panem comedisset, brevi auctus est ita, ut vix fluidi quid deglutire posset. Experimenta acum forcipis ope per pharyngem extrahendi ab *Exper.* ZSCHIESCHE omni dexteritate instituta nullo fuerunt successu. Praeterlapsis aliquot horis locum dolentem pollice circiter uno inferiorem indicavit, quem tamen acus situm quoad symptomata prius allata nullius iudicavimus esse momenti. Quum hirudinibus iv ad locum doloris applicatis eodem gradu perstiterit dolor atque deglutitionis difficultas, aegrota die Januarii quarto ad Nosocomium St. Jacobi delata est ibique denuo explorata accusavit dolorem continuum, pungentem, motu corporis levissimo, tactu atque nonnunquam sine aliqua causa perspicua ita exacerbatum, ut aegrota impatientissima clamores tolleret. Sedes huius doloris duos pollices supra finem extremum processus xyphoidei in media corporis linea fuit. Locus doloris, ambitu circiter duorum pollicum quadratorum, neque tumebat, neque rubebat. Quominus cibos solidiores deglutiret aegrota, prorsus impediebatur, fluida adeo interdum vix sumere poterat. Lingua pura fuit, sitis magna, abdomen non

tensum, alvus e primo morbi die clausa, mensium fluxus ante aliquot dies regulari modo solutus, respiratio valde impedita, tussis autem nulla. Aegrota aegre et suppressa voce propter dolorem loquendo auctum ad quaestiones propositas respondebat et valde morosa fuit. Pulsus paullisper irritatus erat, magnitudine a naturali non discrepans, somnus valde irreqnietus. Praeter emulsionem oleosam iteratae sunt, auctore *Exper.* Kuhl, hirud. IV ad locum doloris.

Die V Januarii. — Relata historia supra allata rogavi a praeceptore dilectissimo Kuhl, qui ob insignem suam humanitatem vix alicui quid denegare potest, ut magnetem adhibendi veniam mihi tribueret, ut hoc in casu eius effectum cum priori historia compararem. Quod cum facile impetrassem, *Exper.* Zeis mecum constituit, auctore atque duce *Exper.* Kuhl, experimenta omni studio et cautione ad finem morbi usque continuare. Magnes, quo usi sumus, prioris quidem formae fuit, sed $6\frac{3}{8}$ ℔ ferri suspensas tenuit. Non ignorantes quidem vim medicatricem naturae in removendis ex organismo corporibus peregrinis efficacissimam, tamen usu magnetis succurrendum ei esse viamque brevissimam aptissimamque demonstrandam putavimus; quare aptissimum pro eius applicatione locum habuimus regionem epigastricam, ne acus sterni corpore, costis aut processu xyphoideo retineretur. Eiusdem igitur diei hora IV vespertina ad latus lineae albae sinistrum, pollicem unum atque dimidium supra umbilicum, admovimus polum septentrionalem magnetis supra descripti, depressimus vero antea, ut magis eo ad inferiora quam ad anteriora duceretur acus. Statim cum magnes corpore nudato cuti ipsi admotus esset, aegrota, cui effectum speratum tacueramus, vehementissimum dolorem pungentem accusavit, qui adeo auctus est, ut in exclamationes aegrota erumperet, et omnium musculorum contractiones conspicuae essent, quasi corpus omnes vires intenderet, ut vehementissimo dolori resisteret. Remoto post minutam dimidiam magnete statim remissio dolorum facta est, quamvis non omnis dolor disparuisset. Post aliquot sexagesimas horae bis idem experimentum repetivimus per dimidiam minutam, veriti, ne diuturniori applicatione dolor

nimis augeretur. Commemorandum adhuc est, ne temere vim aliquam naturae magneti tribuamus, aegrotam iam hora pomeridiana V dolorem paulo mitiorem descripsisse et praesente *Exper.* Kuhl potum melius deglutire valuisse. Dolor magnete auctus post aliquot horas mitigatus est, et quamvis somnum capere non posset puella, quietior tamen fuit.

Die VI Januarii. — Hora matutina IX licet aegrota pro ipsius consuetudine morosa esset, tamen ad respondendum magis disposita, dolorem leniorem esse dixit, atque fluida liberius deglutire potuit. Suadente *Exper.* Kuhl hodie magnetem loco pollice uno atque dimidio altiori et magis ad latus sinistrum spectante applicavimus eundemque locum atramento nigro notavimus. Magnete per XX secundas ad minutam dimidiam apposito, eundem quem heri observavimus effectum atque simul retulit aegrota, sibi visum esse, ac si acus, quae antea antrorsum spectasset, nunc deorsum tenderet. Quum aegrota de vehementibus post magnetis applicationem doloribus quereretur, experimentum non extemplo iteratum est. Ordinatum praeterea ad locum doloris cataplasma emolliens. Dolor post aliquot horas ad priorem gradum rediit. Ceterum eo in loco, ubi hirudines applicatae fuerant, modicus exortus est tumor et rubor atque emphysema observari videbatur; dolor parvi fuit momenti.

Eodem die circa horam VI vespertinam iterum adhibuimus magnetem bis inter quinque sexagesimas horae, quavis vice per XXV circiter secundas. Effectus idem. Jam aegrota statim post applicationem doloris sedem descripsit pollicem circiter unum atque dimidium inferiora versus exspatiatum.

Die VII Januarii. — Dolor hesterna operatione auctus X circiter minutas duraverat, deinde vero remissio iterum exorta est, et usque ad horam noctis secundam pro rerum conditione satis bene se habuit; nunc vero motu corporis aliquo repente peracto dolor auctus et continuatus est usque ad auroram, qua exorta tandem lenior apparuit. Hora matutina nona praesente *Illustri* Claro enarravit aegrota, se sensum habere ac si acus non solum directione sua deorsum spectaret, sed etiam unum atque

dimidium pollicem delapsa esset. Dolor nunc valde minutus, tumor et rubor levis, emphysematis vestigium nullum. Experimento ab *Illustri* CLARO eodem in loco cum magnete iterato statim eadem in lucem prodierunt phaenomena; nam non solum vehementem aegrota indicavit dolorem paulo post, magnete remoto, mitigatum, sed affirmavit simul, se distincte percepisse acum quasi ad applicationis locum tendentem. Praeterlapsis octo circiter sexagesimis horae partibus ab eodem experimento repetito eadem observavimus phaenomena. Ceterum hodie aegrota satis clara voce loqui atque etiam liberius deglutire potuit. Reliquus totius corporis status idem mansit; alvus sponte quidem soluta, sed dura. Dolores totum per diem non maioris quam antea fuerunt momenti, imo sine magna difficultate iusculum pane albo mixtum sumebat. Hora pomeridiana quarta ac dimidia idem experimentum iisdem stipatum phaenomenis reiteratum est. Dolores nunc post aliquot sexagesimas horae partes disparuerunt, ita ut in iusculo vescendo per experimentum interrupta pergeret. Acus deorsum quidem tendebat, neque tamen perspicuo modo locum mutavit.

Die VIII Januarii. — Noctem satis quiete transegerat, quamquam somnum capere non potuit. Dolor in loco affecto paulo maiorem quidem nactus est ambitum, vehementia tamen minor fuit. Tumor in medio sterno supra commemoratus et rubor sanatis e hirudinum morsu vulnusculis evanuerunt. Deglutitio vix impedita, respiratio libera, et reliqua valetudo satis bona. Magnete hora matutina IX applicato dolorem deorsum pungentem indicavit, minori tamen vehementia quam prioribus diebus eum saevire adseruit. Postquam diem satis quiete transegerat, idem experimentnm hora vespertina VI per XL circiter secundas continuas institutum est, neque nunc acum e loco suo esse motum retulit.

Die IX Januarii. — Nox paulo inquietior fuit, quamquam mox post applicationem magnetis dolor ad priorem conditionem redierat. Capitis accusavit dolorem, abdomen tensum fuit, alvus tarda. Magnete per XXV secundas admoto tantus provocatus est dolor, ut exclamaret; acus tamen eodem remansit loco. Hora pomeridiana IV post magnetis applicationem

eadem signa sunt orta, atque simul doloris sedem loco dimidium pollicem infra priorem designavit. Tertia vice, hora vespertina VIII applicatio est facta, nihil tamen novi observatum est.

Die X Januarii. — Hac nocte satis quiete dormivit atque hora IX cum accederemus multo hilariorem invenimus aegrotam, quam diebus praecedentibus. Potus et cibos bene deglutire potuit. Magnes hora IX et XI per XXII secundas adhibitus doloris vehementissimi signa provocavit, acus autem locum atque directionem mutatam esse aegrota negavit. Eiusdem diei hora pomeridiana quarta per XXVII secundas magnete admoto phaenomena fortiora quam unquam antea orta sunt, ita ut vehementissime exclamaret aegrota. Dolor hodie non ut antea post remotum magnetem siluit, sed duravit; locus doloris propter aegrotae inquietudinem non amplius exploratus est.

Hora dimidia aut integra post, absentibus nobis, dolore non solum non mitigato, sed vehementiori facto, aegrota ipsa eundem sensum habuit, ac si acus cutem perforasset, ad quam penitus extrahendam a famula desideravit forficem, cunctante vero illa ipsa digitis acum extraxit, utrum vero cuspis an cauda praecesserit, aegrota definire haud potuit, id quod satis aegre tulimus.

Locus, quo acus extracta erat, unius pollicis spatio ab inferiore processus xyphoidei fine, et eodem spatio superiora versus a loco, quo magnetem applicare consuevimus, distabat. Locus perforatus lenissimo rubore circumdatus fuit. Sanguinis guttulae aliquot emanabant, puris autem ne vestigium quidem observatum est. Dolorem eundem accusavit, neque tamen pungentem, sed magis urentem, levi etiam tactu auctum. Reliquus aegrotae status idem; febris nulla.

Die XI Januarii. — Rubor loci perforati fere nullus fuit, dolor autem parum imminutus; reliqua valetudo bona.

Ut certiores fieremus, num magnes in organismum in universum an attractione acus eiusque locomotione dolorem illum vehementissimum provocaverit, iterum applicavimus magnetem loco et more consueto; nihil

vero inde percepit aegrota, nisi magnetis temperaturam minorem eiusque pressionem.

Ut autem exploraretur, quo fine acus e corpore aegrotae in conspectum prodierit, et num vim magneticam assumserit, experimento cupiebamus definire, utrum a polo septentrionali attraheretur, an repelleretur; sed cum nos inconsiderate acum in mensam subasperam, in qua a loco suo acus non facile attrahi posset, posuissemus, cum cuspis tum obtusior acus finis attrahebatur.

Die XII Januarii. — Dolores et hodie non solum eundem quem antea habuerunt ambitum, sed etiam eadem perstiterunt vehementia; tactum neque in sterno, neque in perforato loco fortiorem tulit; observatus vero est nec tumor, nec rubor, si exceperis eum, quem et antea invenimus in sterno et rubescentem illam umbram circa stigma. Appetitus bonus, lingua muco ex albo-flavescente obducta, sitis naturali paulo maior, ructus atque vomituritiones inprimis post pastum putridae, sed sine humoris colluvie in ore; abdomen aliquantum inflatum, alvus ex V diebus obstructa. Respirationis functiones bene procedebant, pulsus naturalis fuit, somnus inquietior. Ordinatum est, ut sumeret aliquoties per diem dosin pulveris aërophori Vogleri.

Die XIII Januarii. — Status aegrotae in universum idem, dolor tamen paulo lenior quam heri, alvus soluta. Aegrota se sub vesperam hesterni diei, cum corpus moveret, eo in loco, ubi primum acus haeserat, simili sensu affectam esse asserebat, quasi aliquid in interiore corpore rumperetur; nihil tamen memoratu dignum hoc phaenomenon sequutum est.

Die XIV Januarii. — Aegrota lectum reliquerat et sine molestia incedere potuit. Propter alvi tarditatem sumsit vespere hesterni diei Aq. laxativ. Viennens., unde alvus sexies soluta est sine sanguinis aut materiae purulentae vestigio. Abdominis accusavit dolores lacerantes haud dubie ab effectu remedii proprio Marte largius sumti. Sapor putridus et pectoris dolores iidem, lingua paulo purior.

Die XX Januarii. — Per hos dies pectoris dolores parum mitigati sunt, lingua vero purior est, appetitus melior, ructus putridi iidem, alvus denuo tarda; pulsus frequentia et celeritas haud superat naturalem. Quum aegrota *sine venia exeundi concessa* nosocomium reliquisset, et haud dubie diaetae vitium commisisset, redux in nosocomium vomitum experta est sexies circiter repetitum; massa eiecta e cibis, muco tenaci et sanguine constabat.

Die XXI Januarii. — Dolores pectoris haud dubie vomitus nixu denuo increverunt. Appetitus fuit prostratus, de ructibus atque sapore putridis, capitis doloribus, horripilatione saepius repetita calore interposito, de somno inquieto, pulsu febrili conquerebatur.

Die XXII Januarii. — Status aegrotae idem, vomitus et hodie aliquoties rediit. Emuls. papaver. cum Aq. lauroceras.

Die XXIII Januarii. — Dolores paulo mitiores, vomitus nullus, sapor paulo melior, ructus rariores, alvus obstructa, pulsus frequentia et celeritas naturali non multo maior. Pergat.

Die XXVI Januarii. — Dolores valde mitigati, lingua satis pura, sapor naturalis, appetitus bonus, ructus rari, abdomen molle, alvus tamen obstructa, febris nulla. Electuar. lenitiv.

Die XXVII Januarii. — Alvus soluta magno cum levamine.

Die I Februarii. — Dolores nullos accusavit. Digestionis et omnes reliquae corporis functiones bene procedebant, ita ut aegrota ipsa abeundi veniam peteret, quam etiam facile impetravit.

Post aliquot septimanas audivi, aegrotam bene quidem valere et laboribus consuetis fungi posse, neutiquam vero ab omni dolore liberam esse; serius nihil de eius secunda aut adversa valetudine comperire potui.

Acus protracta tenuis fuit, longitudine pollicis $1\frac{1}{4}$, oxydationis vestigium nullum ostendit, nam ubique splendebat et laevis fuit.

Historia tertia *).

Hanc e Theod. Kerkringii infra laudato libro, ipsis auctoris verbis hoc loco liceat transscribere.

„Undique discendi captat occasionem, quem semel incessit generosa cupido scientiae; hanc vel a circumferaneo oblatam arripui arreptamque tibi trado; ideo maxime, quod res ipsa quiddam habet notabile.“

„Dum aquis Spadanis hauriendis sanitatis causa indulget hera, ancilla quaedam imprudens acum deglutierat, quae tali ratione infixa erat partibus internis gutturis, ut loquelam ei redderet difficilem; illa ceterum innoxia descendit ad tonsillas atque ibi novem omnino annis haesit manifesta, quia tactu percipiebatur, nulla tamen inflammatione infesta: puella anxia nihilominus, ne tandem in malum atrocius erumperet loco non suo positum metallum, varios sollicitat chirurgos, manum adhiberent exscindendae acui: nemo audet maioris mali formidine. Iam XXIII annum agebat, cum supervenit homo, ex eo genere, qui cum nihil vel parum de medicina calleant, medicamenta tamen aliqua nacti, quae cum adhibita morbos aliquos sanent, illi omnia omnibus audent promittere, et dum omnibus manum adhibent, tandem quadam imbuuntur experimentali in multis scientia: is ergo, quem dixi, homo huic nostrae accedenti facilem promittit ab ea sive molestia, sive anxietate liberationem. Illa credit: hic incipit et cultro levi facta incisione, turundula pellem nonnihil deducit et magnetis (non pulverem ut vulgo fit) sed frustum vulneri apponit: res mira; post IX diem lapidi adhaeret acus et puella liberatur.“

Historia quarta.

Die IX Februarii h. a. humanissimus Diekhoff, chirurgiae candidatus, me rogavit, ut cum ipso feminam lavandis linteis quaestum facientem

*) Specileg. anatom. obs. XLIV. p. 99.

adirem, quae ante tres menses acum suendo inservientem, tenuem, sic dictam anglicam, magna cum vehementia in volam manus ad pollicem sibi infixit, ita ut frangeretur acus et inferior eius pars retineretur. Intra hoc tempus, quo nihil adhibuit, aegrota dolore vexata est pungente, qui impedivit, quominus negotiis quotidianis fungeretur. In loco affecto, intra breve temporis spatium cicatrisato, neque tumor, neque rubor conspici potuit, ab attactu vero paulo fortiori dolor excitatus est. Hum. DIEKHOFF paucos ante dies ad acum removendam incisionem fecit, neque tamen volsellae ope eam invenire et arripere potuit. Applicato magnetis ℔ jv. ferri gerentis polo septentrionali ita, ut cutem non tangeret, ab initio nihil sensit aegrota, post dimidiam autem minutam sensum habuit, *ac si*, ut aegrotae verbis utar, *pullulus rostro tunderet* (als wenn ein Hühnchen darin pickte). Die sequente eodem modo experimentum velatis aegrotae panno linteo oculis, ne falleremur, iteravimus. Ac primum quidem iterum plane nihil percepit aegrota per minutam fere integram, deinde vero dolorem obtusum, pungentem indicavit atque cum magnetem continuo sursum ac deorsum moveremus, petiit a nobis, vulnus ipsi cultello ne infigeremus; nam se bene percipere dixit, *quomodo cultello tenuissimo sursum ac deorsum secaremus.* Acum non deteximus. Haec sunt quae de experimentis bis iteratis afferre potui; nam continuare ea morbo detinebar.

Historia quinta.

Hanc quintam morbi historiam non ipse quidem observavi, sed *Ill.* SENKEISEN, medicus celeberrimus Lauchstadiensis, e diario suo eam mecum communicavit, atque veniam mihi eam in usum meum vertendi concessit. Haec sunt, quae vir ille doctissimus mihi exposuit: „die XXVII Februarii anni MDCCCXIX servus domesticus humanissimi RABENHORST, pharmacopolae, nomine KOLB, cum canalem quendam glacie ligonis ope liberare studeret, inter hunc laborem per corpus aliquod oculo laesus est sinistro. Dolor vehementissimus quovis momento crevit. *Exper.* KAISER, familiae

Rabenhorstianae medicus, fortuito praesens, omnia sine effectu adhibuit. Quum *Ill.* Senkeisen eiusdem diei hora matutina XI simul pharmacopolam amicum adiret, rogatus ab eo, praesente *Exper.* Kaiser, aegrotum exploravit et in oculi inflammati cornea ad marginem pupulae scobem ferream detexit. Historia fabri ferrarii, qui magnetis ope scobem ferream ex oculo sibi traxerat, commotus, proposuit collegae suo idem experimentum et hic instituere, qui, licet non repugnaret, tamen non multum ab hocce remedio exspectare videbatur. Magnes brevi allatus, oculo aperto digitis fixo appropinquatus est distantia circiter linearum duarum. Aegrotus statim dolorem indicavit auctum et scobs illa ferrea, magnitudine grani milii dimidii, ad magnetem prosiliit. Sanguinis guttula scobem sequuta est et doloris magna remissio. Paucis diebus inflammatione profligata aegrotus penitus convaluit."

Eidem viro contigit anno huius saeculi XXIII, ut caementario scobem ferream per XXIV horas inhaerentem ex oculo dextro magnetis ope removeret.

Historia sexta *).

„Rusticus quidam ex valle S Mie, ut vocant, prope lacum Bielensem, Benedictus Barquin nomine, cum chalybem apud mercatorem emeret optimumque eligere vellet et proinde ut fieri solet, frustum contra frustum allideret, scintilla ipsi in illam corneae partem, ubi iris conspicitur, prosiliit ibidemque membranae firmiter inhaesit, idque non sine dolore maximo. Adstantes cum per plures dies frustra omnem adhibuissent diligentiam, dolores quinetiam atque inflammationes mirum in modum adauctae fuissent, venit ad me *Bernam* quinta Martii. Tunc prius instituta optima victus ratione et evacuato corpore, tam per pharmacum, quam venae sectionem (est enim plethoricus), primo instrumentis et quidem diversis vicibus et per dies aliquot, tentavi, an scoriam extrahere possem; sed adeo erat exigua,

*) Fabricii Hildani observat. chirurgicar. centur. V. observat. XXII.

ut instrumentis illam extrahere non licuerit. Quapropter aliam viam inire et beneficio sacculi, cuius fit mentio: *Centur.* IV, *observat.* 17, illam extrahere constitui, sed iterum oleam et operam perdidi. En uxor mea remedium aptissimum excogitat. Interim enim dum ego ambabus manibus palpebras aperio, illa magnetem oculo, quam proxime aeger id sufferre potuit, admovet. Id cum aliquoties, et quidem repetitis vicibus fecissemus (non diu enim lucem, qua tamen hac in re summopere opus fuit, sufferre potuit), tandem scoria ex oculo nobis omnibus videntibus, ad lapidem prosiliit. Postea applicato collyrio anodyno brevi convaluit.“

Historia septima.

Sub finem hanc ex Morgagni libro de sedibus et causis morborum Lib. I, epist. XIII, 21 et 22, desumtam cum lectoribus communico, ubi de inflammatione corneae hoc modo disserit: „Cuius rei duo a me visa proponam exempla, alterum in nobili viro, alterum in molitore. Hoc ad me adducto, ut quid vitii in cornea e gravi ophthalmia oriri inciperet, edocerem; in illius medio exiguam maculam animadverti circuli forma, albidam ad ambitum, in centro subnigram. Cum sciscitarer, quid causae dedisset inflammationi, ipse autem inchoatam diceret ex quo sibi molam malleo exasperanti quaedam in oculum resiliverant, quae tamen continuo eluisset; auspicatus quod erat, infixam aliquam lapidis, vel potius ferri particulam in cornea, ubi erat macula, restitisse indeque ortam, quae male haberet, inflammationem, magnetem modicarum virium semel atque iterum propius admovi, et subnigrum illud, de quo antea dictum est, e macula iam nonnihil exstare continuo intellexi, propterea quod in claudendo oculo superior palpebra asperi aliquid eo in loco percipere incipiebat. Sed sive illa ferreae scoriae figura esset, ut profundiorem partem haberet paulo latiorem, sive potius imbutae humoribus turgentesque corneae fibrae, quam inter initia remissurae fuissent, postea arctius complexae infixam particulam retinerent, non licuit eo quidem die extrahere, imo cessandum potius censui,

ex quo homo ait, quoties magnes admoveretur, toties oculum quasi rapi magnetem versus, non sine doloris incremento, sentire. Igitur imperatis quae hactenus omissae fuerant, alvi subductione et sanguinis detractione, tum quae dolorem mulcendo fibras leniter laxarent, oculo adhibitis, non ita multo post simul cum lacrymis excidit scoria, qua elapsa, facillime omnia evanuere. Nisi autem per se excidisset, magnetem rursus experiri in animo erat, firmato per aptum aliquod instrumentum oculo, ne moleste adeo simul cum scoria attraheretur.

22) Vides ut ex magneticae attractionis, sicuti vocant, phaenomeno in speciem inutili apud eos quidem medicos, qui si naturae operae paulo attentius spectare te videant, odiosa percontatione continuo quaerunt, quid inde ad medicinam faciendam? Vides, inquam, quae inde existere utilitas interdum possit et ad dignoscendam morbi causam et ad tollendam. Nihil enim dubii est, quin eiusmodi scoriae aut inter initia, cum fibrae nondum constrictae sunt, aut postea cum laxantur, facile possint eximi magnetis ope aut saltem dimoveri et protrahi, ut nisi per se excidant, volsellis queant apprehendi. Neque haec in oculo tantum dico, sed in quacunque, cui forte infixae fuerint, parte, praesertim cum aliquando vix appareant aut eo cum dolore, ut neque arripere possis, si velis, aut aegri, inprimisque pueri, nolint." —

PARS SECUNDA.

§. I.

Nonnulla de historia vis medicatricis magnetis.

Licet non meum sit, de virtute magnetica eiusque usu in medicina in universum disserere, cum mihi tantummodo vim magnetis in particulas ferreas corpori vivo inflictas verisimiliorem reddere proposuerim, tamen non inepte mihi videtur, quaedam de huius rei historia in universum afferre.

Lapidis magnetici iam apud antiquissimos *Chaldaeos*, *Aegyptios*, *Hebraeos*, inprimis apud *Indos* et *Sinenses* reperimus notitiam. Unde nomen ducat lapis, num a pastore montis Idaei *Magnete*? an nomen eius sit gentile suaeque appellationis originem trahere a *Magnesia*, regione Macedoniae maritimae? quot et quae varia ei sint nomina synonyma? quid veteres de eius natura disputarint? silentio transeundum esse videtur. Accuratiorem qui desideret explicationem, inveniet apud ATHANASIUM KIRCHERUM *) et THEODORUM ZWINGERUM **). Lapidis istius usus non solum inter veterrimos populos sed ex parte inter recentiores quoque tam varius atque plerumque tam ridiculosus nec non superstitiosus fuit, ut haud facile quid sit, quod ab eo effici posse negent. Superstitio enim, ad hunc usque diem neutiquam exstincta, antiquitus multo magis divulgata, ut miraculosam atque prodigiosam magnetis vim omni modo tentarent et quod nullo pacto fieri potest, ea perficere studerent, homines impulit. Sic ad omnes artes magicas exercen-

---

*) ATHANASII KIRCHERI, Magnes s. de arte magnetica opus tripartitum etc. Colon. 1643.

**) THEODORI ZWINGERI, scrutinium magnetis physico-medicum. Basil. 1697.

das, ad amicitias iungendas, inimicitias dissipandas, adolescentiam conservandam, coniugalis praecipue amoris vincula firmanda vel adulterium et alia crimina furtiva detegenda, eius usum magnopere laudarunt. Indiarum incolae regi suo ollas e magnete conficiendas curarunt, in quibus cibi ipsius eo coquebantur consilio, ut eius perpetuo conservaretur adolescentia. Nec minus risum excitat fabula, cuius mentionem facit ZWINGERUS in scrutinii sui cap. VI, pag. 193, dum, *magnetis*, ait, *beneficio quis alteri sua secreta per certam distantiam relevare potest!* Quid vero vel absurdius vel superstitiosius excogitari potest, quam quod ALBERTUS MAGNUS de mineral. tract. 2, cap. II, habet, ubi inter alia de magnete, *in magicis*, inquit, *traditur*, *quod magnes phantasias mirabiliter commovet*, *praecipue si consecratus obsecratione et charactere sit; ajunt etiam*, *hunc lapidem capiti mulieris suppositum statim eam movere ad amplexum mariti sui*, *si casta est; si autem adultera fuerit*, *prae nimio timore phantasmatum dicitur cadere de lecto!* Eodem modo MARBODAEUS inter alia de magnete ita canit:

Conciliare potest uxoribus ipse maritos,
Et vice conversa nuptas revocare maritis.
Suppositum capiti lapidem stertentis adaptet,
Mox quae casta manet, *petit amplexura maritum;*
Mox tamen evigilans cadit omnis adultera lecto,
Tanquam pulsa manu, *subito foetore coacta*,
Quem lapis emittit, *celati criminis index!* —

Quod facultates magnetis medicas attinet, haud minus variae ac inter se discrepantes sunt auctorum sententiae et iudicia; quid verum, quid falsum sit, difficillimum est iudicatu. Sunt qui laudent, sunt qui culpent, et adhuc sub iudice lis est. Neutiquam igitur reiicienda videtur eorum diligentia, qui observationes fortuito factas aut experimenta de industria instituta, non ex opinione, sed ex veritate litteris mandant, et efficax fortasse remedium perperam oblivioni traditum, in medicorum memoriam revocant. Pauca tantum ex multis referamus, et densis adhuc in tenebris rem nostram versari, quisque facile intelliget. Sic HIPPOCRATES τῆς μαγνησίης λίθου mentionem facit ad pur-

gandam pituitam; GALENUS laudat eius usum in hydrope depellendo; secundum DIOSCORIDEM atram expellit bilem; PAULUS AEGINETA ulcera depurari et exsiccari testatur; ex AVICENNAE sententia splenis eo tolluntur tumores; PLINIUS ad oculorum tollendos morbos commendat. Sed et contra catarrhos, haemorrhagias, rheumatismos, maniam, putredinem, hernias aliosque diversissimi genii morbos huius remedii laudarunt effectum. Testes sunt: PARACELSUS, QUERCETANUS, AGRICOLA, FABER, MYLIUS, STOCKERUS.

Recentiori tempore cum magnes, quod attinet ad res medicas, fere oblivioni traditus esset, viri docti atque periti eius virtutem variis in morbis tentavere neque omnino sine sperato effectu; neutiquam vero etiam nunc, qua sub conditione fructum ex eius usu exspectare liceat, assiduis observationibus atque experimentis constitutum est, cum inter eius usum plerumque et alia simul efficacia remedia adhiberentur: venaesectiones, hirudines, vesicatoria, varia remedia nervina etc.

FR. GUIL. KLAERICH *) speratum effectum in sanandis dentium doloribus expertus est. Ex 130 enim aegrotis odontalgia laborantibus, 112 a malo liberavit; apud reliquos 18 non curatos exploratio accuratior gingivarum abscessus aut laesiones mechanicas in evellendis dentibus factas ostendit. KAESTNER **) statim fere magnete applicato odontalgia liberavit feminam. HOLLMANN ***) se saepius felici cum successu magnetem in odontalgia adhibuisse refert. DARQUIER †) usum magnetis in eodem malo testatur. Ceterum variis in morbis virtutem habuisse dicitur, inter quos nominasse satis est menostasiam, hypochondriam, hysteriam, oculorum morbos, epilepsiam et sic porro. (Confer de hac re infra MURRAY ††) et seqq.). — Magnetis vim

*) Götting. gelehrt. Anzeig. vom Jahre 1765. pag. 713.

**) Ibid. pag. 252.

***) Ibid. pag. 777.

†) Ibid. vom Jahre 1766. pag. 385.

††) MURRAY, medizin.-praktische Bibliothek. 2. Bd. pag. 154. — RAHN, diss. de sympathia. Turici 1788. §. V et VI. — BOLTEN: Nachricht von einem mit dem künstl. Magnet gemachten Vers. in einer Nervenkr. Hamburg 1775. — HEINSIUS, Beiträge zu denen Ver-

in particulas ferreas corpori vivo inflictas, pauci tantum exploraverunt. Quamvis iam Galenus aliique emplastris sic dictis magneticis scobes ferreas ex vulneribus removere studuerunt, nos tamen pro re nostra Fabricium Hildanum tantum, Kerkringium et Morgagnium auctores sumamus; qui primum felici successu scobem ferri tenuissimam oculi tunicis inflictam, quae irritatione inflammationem excitaverat, magnetis vi extraxerunt (vid. supra). Num praeter hos ab aliis quoque experimenta sint hac de re instituta, me fugit.

Via ac ratio qua adhibuerunt lapidem magneticum veteres, haec fuit, ut partim interne eum porrigerent, partim extus corpori applicarent; interne aegrotis in pulverem redactum vel vario modo: digestione, destillatione, calcinatione praeparatum, ordinaverunt; externe autem vel pulvis ille emplastris subactus vel in frustis adhibitus est. Emplastra, quae magnes ingrediebatur, praecipua fuerunt: *divinum Nicolai*, *nigrum Augustanum*, *Opodeltoch Mindereri*, *attractivum Paracelsi*. Sed haec de magnetis historia atque usu medico apud veteres sufficere videntur.

§. II.

Argumenta, quibus vis magnetis corpora ferrea e corpore vivo extrahendi probari potest.

Nunc si sententiam meam de magnetis in extractione corporum ferreorum, corpori vivo inflictorum, vi verisimiliorem reddendi periculum faciam, duplex argumentorum ratio est:

a) desumi possunt *ex ratione ipsa*. Uti enim corpora aliena pondere suo per partes inprimis telam cellulosam gliscunt, ita etiam cogitari potest, alia vi externa hoc fieri posse. Nonne permulta habemus exempla, ubi corpora aliena vel fortuito vel ex industria huic vel alteri organismi

---

suchen, welche mit den künstl. Magneten in verschiedenen Krankh. angestellt worden. Leipz. 1776. — Unzer, Beschreib. eines mit dem künstl. Magneten angestellten Vers. Hamburg 1775. — Borelli, histor. et observat. physico-medicae. Centur. III. 80.

nostri parti immissa loco longe remotiore, plerumque inferius sito provenerunt? Globuli plumbei, acus suendo inservientes atque permulta alia corpora inopinato apparuerunt loco inferiori in superficie cutis atque facile artis ope removeri potuerunt, dum prius nimis profundum locum occupabant nec ulla dexteritate arripienda et extrahenda erant. Non ignoramus quidem e contrario quoque corpora peregrina e sede sua primaria contra gravitatis leges ad locum altiorem adscendisse, sed de his postea agamus. Quis autem est, qui magnetis vim in particulas ferreas e quadam iam distantia efficacem neget? Concedendum quidem est, et levissimam frictionem particulae ferreae magnetis vim cohibere; multo vero alia res videtur esse in corpore vivo, ubi magnetis vis parum prohibetur, sed vario modo, quomodo serius demonstrare studebimus, adiuvatur.

b) *ex experientia.* Nam cum historias morborum in prima huius scriptiunculae parte allatas, comparemus, rem extra omnem dubitationem positam esse videmus. Quis tandem est, qui magnetis efficientiam salutiferam in quinta, sexta et septima historia refutet, nisi auctores mendacii et fraudis turpissimae coarguat? Tribus enim in historiis, duabus ab *Ill.* Senkeisen atque una a Fabricio Hildano narratis, omnes qui aderant, scoriam ex oculo magnete attractam conspexerunt. Si serius ab aliis idem experimentum in similibus casibus sine effectu repetitum est, hoc neutiquam eo valebit, ut magnetis efficaciam vanam esse et ab eius usu abstinendum statuere debeamus. Nam aut impedimenta ea fuerunt, quae a magnete removeri non poterant, aut experimenta non recte instituta, aut non satis diu continuata sunt. Reliqua, quae attuli in parte prima, exempla, quamquam non parem splendorem concilient remedio nostro, eius tamen vim certiorem reddere valent. Si consideramus primam, secundam et quartam historiam, omnes tres aegrotas a magnetis applicatione dolorem vario tamen gradu percepisse videmus. Nam dum aegrota Rossbergerin (cf. hist. I.) levem tantum dolorem pungentem percepit, quem post V et VIII sexagesimas horae partes inter ipsam magnetis applicationem leviorem fieri et sensim prorsus evanescere asseveravit, aegrota altera (cf. hist. IV.) sensum

habuit, ac si pullulus rostro velleret; aegrota tertia (cf. hist II.) indicavit dolorem vehementissime pungentem, qui ad eum usque gradum auctus est, ut in lamentationes erumperet. Decipi in duobus certe prioribus casibus non potuimus, cum experimenta velatis aegrotarum oculis eo modo institueremus, ut nullam aegrotarum partem tangeremus, sed magnetem a corpore distantem adhiberemus. Ex his omnibus praeterea, primam certe et quartam aegrotam non fuisse ad fallendum paratam, optime elucebit, ubi sequentia paulo accuratius consideraverimus. Rossbergerin rure fuit educata, laboriosa, famae integrae et neutiquam in oppidanarum artibus et fraudibus exercitata; omnia morbi symptomata optime cum aegrotae relatione congruebant et ex parte sic comparata erant, ut simulari nullo modo possent. Huc pertinent vomitus ille materiae striis sanguineis tinctae et ratio, qua integumenta communia penetravit acus; ultimis enim morbi diebus in ipso applicationis loco areola formari coepit pallide rubra, cuius in centro papula parva elevata prodiit, ex qua unguis ope aperta acus protracta est. Naturam ipsam acum removisse ipsumque hunc locum sibi ad eam reiiciendam elegisse, prorsus quidem denegari nequit, cum similia exstent exempla, nemo tamen in vitium mihi vertet, quod hoc quoque phaenomenon ad confirmandam meam sententiam mihi sumserim. Quod secundam attinet historiam, non desunt, quae simulationis suspicionem moveant. Praeprimis suspectus mihi videtur dolor ille inter applicationem magnetis vehementissimus, qualis nullo alio in casu observatus est; porro brevis morbi decursus et potissimum acus extractio, ab aegrota ipsa perfecta! Nihilo tamen secius puella non malae fuit notae, in famulatu quidem hac in urbe fuit, oppidanarum autem adeo non inde particeps facta erat astutiae, ut potius ingenio tardo praedita esset. Ceterum acus vere deglutitae indicia videntur: loquendi et deglutiendi ratio, agrypnia, vomitus materiae sanguine mixtae sub finem morbi observatus et patientia, qua experimenta ab *Exper.* Zschiesche, omni profecto dexteritate quidem neque tamen sine magnis incommodis instituta, passa est.

De reliquis dubium esse nequit, cum particulae illae ferreae modo tactu, modo visu percipi potuerint.

§. III.

Accuratior explicatio, quomodo extractio per magnetem fiat.

Quomodo extractio per magnetem fiat, difficillime est explicatu. Pro virium tenuitate ea, quae nobis verisimilia videntur, brevibus afferamus, minime vero ignorantes, hanc nostram qualemcunque sententiam non nisi mancam esse posse, cum penitior physices cognitio nobis deficiat. Ignoscite igitur, L. B. iuvenis auso; in magnis enim voluisse sat est.

Simulac organismus corpore alieno laeditur, semet ipsum servare studet reactione; vita enim sensitiva, vasculosa et vegetativa excitatur in loco affecto. Omnes functiones vitales magis eminent, sanguinis circuitus in universum et affluxus praecipue in partem laesam acceleratur, atque turgor vitalis clarior evadit et cum secretione resorptio crescit. Corpora illa inimica muco et gelatina obducuntur atque humoribus organicis alluuntur, unde substantiae organicae irritatio imminuitur. Sumamus nunc, corpus peregrinum ferreum esse e. g. acum; etiam levissima magnetis vis eo facilius, quo magis illud corpus naturae processu lubricum redditum est, effectum in illud exercebit, unde deinde partis organicae (et praesentia et pondere et attractione corporis alieni) irritatae resorptio magnetem versus adaugetur. Humor vero magnetis effectum adiuvat, cum frictio corporis alieni eo imminuatur et ita irritatio artificialis naturae processum acceleret. Hunc processum vario adhuc modo, musculorum contractione et diversis corporis motibus partim sublevari, partim retardari posse, nemo negabit, cum eo exoptata directione protrudi vel e contrario repelli possit. Commemoravimus in paragrapho antecedente, corpora aliena etiam contra gravitatis leges interdum ascendere locoque superiori in lucem prodire, quod hoc modo explicari posse arbitramur. Ubi maior irritatio, ibi resorptio adaucta; ubi minima impedimenta, ibi maior progrediendi nisus. Sit ergo pars sursum spectans reliquis acutior et tenuior, ut in acu cuspis; nonne tunc in loco superiori irritatione perpetua resorptio adaugebitur? Dum in irritationis loco resorptio progreditur in parte opposita telarum per transgressum laesarum

coniunctio et reunio locum habet atque hoc quoque modo promovetur corpus alienum.

§. IV.

Symptomata inter applicationem magnetis eorumque discrepantia ab iis quae aliis affectionibus procreari possunt.

Symptomata inter magnetis applicationem haud discrepant ab iis, quae et aliis affectionibus procreari possunt. Nullum enim videmus symptoma constans, si exceperis dolorem, cuius vehementia vel a magnetis maiori aut minori distantia applicati vi, vel ab irritabilitate et sensibilitate partium laesarum vel ab aegroto plus minusve doloris impatiente dependet. Fortassis non sine emolumento subtilior institueretur comparatio, num discrimen intersit inter naturae viam et magnetis rationem, secundum quam illa corpora in superficiem promoveantur? Plerumque enim corpora aliena per abscessum removeri a natura ipsa, vel sine omni incommodo involuta muco aut ipsa membrana a natura ad irritationem imminuendam producta, per longum tempus uno eodemque in loco remanere, vel prorsus, si fieri possit, resorberi videmus, dum ea inter magnetis applicationem superficiem sine omni puris vestigio penetrent.

§. V.

Quando et ubi magnes cum fructu applicari potest?

Ut constituatur, quando et ubi magnes cum fructu adbiberi possit, duo respicienda sunt:

a) *situs particularum ferrearum non ita profundus.* Si corporis inimici sedes valde remota est et aegrotus inter applicationem saepius repetitam nullum doloris indicium profert, tunc haud dubie nihil sperandum est; si corpus minus remotum latet, non statim, etiam deficiente doloris vestigio, ab experimento abstinendum erit, cum fortassis eam tantum ob causam levis magnetis effectus ab aegroto non percipiatur, quoniam partes circumiacentes minus sensibiles sunt e. g. tela cellulosa adipe plena;

b) *forma et pondus corporum ferreorum.* Haud scio, an plures casus obveniant, in quibus magnes auxilium ferre possit, quam ubi particulae ferreae minimae sunt et in superficie observantur, uti in oculorum tunicis, aut ubi acus formam prae se ferunt.

Nonne autem iidem plerumque et maxime aegrotum et medicum vexant? Nemo enim profecto magnetem in auxilium vocabit, nisi tentatis antea omnibus medicinae auxiliis.

§. VI.

Quando magnes non applicandus?

Magnes non adhibendus est, ubi commoda via eligi nequit e. g. in ea oesophagi parte, quae in eius per cavum thoracis decursu superior est; quoniam ubique spina vertebrarum, costae et sternum impedimento erunt, et acum per vertebrarum interstitia ducendi conamen periculosum foret. Porro non adhiberem eum, ubi corpora ferrea iam diu sine incommodo in organismo latuerunt, ubi haud dubie naturae ope membrana involuta atque hoc modo innocentia reddita sunt. At facile quisque in singulis iudicabit, num magnes sine periculo adhiberi possit nec ne.

§. VII.

Num alia medicatione inter magnetis applicationem opus est?

Aliam inter magnetis applicationem non negligendam esse medicationem per se patet. Post acus deglutitionem mucilaginosa ordinanda sunt, ad inflammationem aut praecavendam aut imminuendam, sanguinis detractiones vel locales vel universales instituendae et sic porro; postremum symptomata molesta atque periculum minantia secundum artis medicae regulas vel removenda vel certe imminuenda sunt.

§. VIII.

Nonnulla de cautione adhibenda ad fraudes detegendas.

Quum sexus sequior inprimis ad simulationem quam maxime inclinet atque permulta hac nostra in re exstent exempla, quae feminas medicos non

solum fallere studere, sed etiam optimo modo dolum suum perficere, nos edoceant, caute et circumspecte ingrediendum est. Optime se certiorem reddet medicus propter talem casum in auxilium vocatus eo, ut ad diagnosin certam firmandam primum experimentum simplici ferro secundum magnetem formato instituat. Paucis horis quisque faber ferrarius talem pseudomagnetem perficit. Sic exemplum a me ipso observatum brevibus communicem. Eodem tempore, quo experimenta instituebantur cum aegrota RICHTERIA (cf. hist. II.), alia etiam puella, netrix, inter aegrotorum numerum nosocomii *St. Iacobi* recepta erat, cuius astutiam atque artes, quibus fallere nos conata est, mox perspeximus. Recepta fuit in nosocomio propter febrem intermittentem anomalam cum catalepsia. Febris sensim tacuit et ut spasmodici paroxysmi non redirent iussum est! Nunc cum propter catalepsiae simulandae conamen in carcere teneri deberet, simulavit luxationem spontaneam, quae tamen fraus etiam mox exploratione instituta detecta est. Tandem cum diu nos fallere studuisset, extrema audens, se acum suendo inservientem deglutiisse asseruit atque de dolore conquesta est sub manubrio sterni. Simulac hac de re notitiam accepissem, adii aegrotam atque solatium ei attuli eo, ut dicerem, crastino die acum magnetis ope me esse extracturum. Curavi interea ut simplici ferro magnetis a me adhibiti forma tribueretur. Die sequente hunc pseudomagnetem applicavimus atque vehementissimos simulavit dolores. Hoc experimento, ut simulationis dexteritatem observaremus, aliquoties coram omnibus auditoribus tunc tempore scholas clinicas *Ill.* CLARI frequentantibus repetito, ei nostra de morbo detecta est sententia. Nihilo tamen secius fraudem inceptam persequi studuit; nam post aliquot dies incisione facta acus e musculis abdominis extracta est, quam ante paucos dies immiserat! —

§. IX.

Haec sunt quae de magnetis vi in extrahendis particulis ferreis corpori vivo inmissis dicenda mihi erant, et me felicem habebo, si aliquid certe lucis me attulisse rei multum adhuc in dubitationem vocatae lectores iudicaturi sint. Ingenii tenuitas atque morbus, qui iam integrum fere per annum me vexat, impediverunt, quominus rem rite et digne tractarem.